



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE MEMBRIS ECCLE-||SIAE MILITANTIS,|| TRIBVS LIBRIS|| EXPLICATA.||

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1599]**

**VD16 B 1607**

XXVII. Idem asseritur testimonio Patrum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53880](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53880)

nus Lutherus, cum non paucis ex suis, iustissimè caput amiserit.

CAPVT XXVII.

*Idem asseritur testimonio Patrum.*



QVARTO probanda est testimoniis Patrum. Sanctus IGNATIVS epistola ad Tharsenses iubet honorari Virgines Deo sacras. Et epistola ad Antiochenses: *Virgines, inquit, agnoscant cui se consecrauerunt.*

DIONYSIVS Eccles. hierarch. cap. 6. part. 2. describens ritum, quo initiabantur Monachi, dicit eos publicè in Ecclesia promittere, se renunciare vitæ diuisibili, id est, vitæ seculari, secularis enim diuisus est, vt Apostolus dicit I. Cor. 7. cum partim de Deo, partim de vxorè cogitet.

MARTIALIS epistola ad Tholosanos, capit. 8. dicit se Valeriæ virgini persuasisse, vt virginitatem suam Deo voueret, quod etiam Iphigeniæ suasisse Matthæum scribit Abdias in eius vita, & Theclæ B. Paulum scribit S. Ambrosius lib. 2. de virginibus, & Flauix domitille S. Clementem scribit Beda in martyrologio die 7. Maij, cuius etiam meminit Eusebius in Chron.

TERTVLLIANVS libro de velandis virginibus: *O sacrilega manus, inquit, qua dicatum Deo habitum detrahere potuerunt, quid peius aliquis persecutor fecisset, si hoc à Virgine electum cognouisset?* Et in fine libri: *Nupsisti, inquit, Christo, illi tradidisti carnem tuam, illi sponsasti maturitatem tuam.* Et ibidem: *Quid, inquit, faciet ipsum continentia votum?* &c. Et libro de Monogamia, vltra medium: *Habentes, inquit, iudicium, quod primam fidem resciderunt, illam videlicet, à qua, in viduitate inuenta, & professæ eam, noluerint perseuerare.*

CLEMENS Alexandrinus Strom. 3. initio: *Est ergo, inquit, continentia, corporis despicientia conuenienter pactis conuentis cum Deo iunctis.* Et in fine libri: *Dominus, inquit, dixit, qui vxorem duxit, non repudiet eam; qui non duxit, non ducat; qui autem professus est se nunquam ducturum, sine vxore perseueret.*

ORIGENES



ORIGENES homil. 23. in Num. Vnde, inquit, mihi visur illius solius esse indefinens offerre sacrificium, qui se inueniendi, & perpetua deuouerit continentia.

HILARIUS in Psalm. 64. Deo ergo, inquit, conuendat contemptus corporis, castitatis custodia, ieiunij tolerantia.

EVSEBIUS lib. 4. de vita Constantini: Castitatem, inquit, virginalemque, modestiam amplexata quadam, corpus, & animam consecrauere Deo. Et infra de Constantino: Virgines inquit, chorum tantum non adorabat, istic habitare Deum cui se puella deuouerant, arbitrabatur.

S. CYPRIANUS lib. I. epist. II. ad Pomponium: Christus inquit, Dominus & Iudex noster, cum Virginem suam sanctitatem, & sanctitati sua destinata, iacere cum altero uideret, quam indignatur & irascitur, & quas penas eiusmodi coniunctionibus comminatur? Et infra: Quia, inquit, hoc crimen admisit, non mariti, sed Christi adultera est. Et libro de habitu virginum: Qui, inquit, se Christo dicantur, & carnem, quam mentem Deo deuouerint, opus suum summum magno premio destinatum.

S. ATHANASIUS in libro de humanitate uerbi dicitur, etiam pueros uirginitatem suo tempore profiteri solitos. Et in Apologia pro fuga sua meminit sacrarum uirginum, quas Ariani petulantissime vexauerunt. quod fusius scribit Petrus Athanasij successor, in epistola quadam, quae extat apud Theodoretum lib. 4. hist. Eccles. cap. 20. 21. 22. Idem Athanasius in libro de uirginitate: Postquam, inquit, continentiam professus es, corpus tuum sanctificasti.

S. BASILIUS in prooemio constitutionum monasticarum: Itaque, inquit, qui a mundi uinculis liber esse cupit, nuptias & ueluti pediculas quasdam fugit, his autem relictis, uirginitatem suam Deo consecrat, & castitatem proficitur, & neque ipsi sit conuersionis ad nuptias. Et epistola ultima, quae est ad uirginem lapsam: Et quia, inquit, impius in profundum uel lapsus mala de cetero contemnit, etiam ipsa abnegat ad uirginitatem sponsam pacta, neque esse uirgo, neque unquam promissa clamas. Reuoca in memoriam honestam professionem, quam professus es coram Deo, & Angelis, & hominibus. Reuoca in memoriam uenerandam congregationem, & sacrum uirginum chorum, quot literas ad Sanctos saepe exarasti, per quas pro te orate



orare petisti, non ut nuptias humanas, immò ignominiosam corruptionem assequeris, sed ut à Domino Iesu non excideres? &c. Idem libro de virginitate parum à medio: Cum, inquit, Virginitatem Domino professæ sint, carnali postmodum voluptate malè blanda delinæta ac deuicta stupri scelus honesto coniugij nomine obtegere cupiunt. Et paulò antè: Horrendo, inquit, sacrilegio Christi sponsa adulter efficitur. Et paulò infra: Nam quod solenne, inquit, legitimumq; cõnubium sponsus ille (Christus) occupauit, & Virginitatis habitus, & fœdera, & conuenta cum illo, & præterea processus ipse testatur, huiusmodi quippe nobilitata viro processit in publicum, &c. Idem in quæstionibus fusè explicatis, quæst. 14. & 15. multa de voto solenni Monachorum disputat.

S. GREGORIUS NAZIANZENSIS oratione de obitu patris sui vltra medium: *Vt enim, inquit, nos Deo vouimus, si discrimen effugeremus, ita periculo defuncti, nosmetipsos obtulimus, &c.* Gregorius enim, vt ipse in poemate de vita sua scribit, à matre Deo consecratus fuerat, antequam nasceretur, & ipse postea, cum in mari periclitaretur, iterum votum continentia, & religionis emisit, quod etiam seruauit.

S. OPTATVS Mileuitanus lib. 6. contra Parmenianum: *Spirituale, inquit, hoc genus nubedi est; in nuptias sponsi iam venerant voluntate ex professione sua, &c.*

S. EPIPHANIVS hæc. 61. Apostolicorum: *Tradiderunt, inquit, sancti Dei Apostoli peccatum esse, post decretam Virginitatem ad nuptias conuerti. Et infra: Si, inquit, quæ Vidua fuit, ac Deo dicata, & postea nupsit, iudicium & condemnationem habebit, quod primam fidem reiecit; quãtò magis quæ Deo dicata Virgo fuit, & nupsit, contra Christum lasciuuit, & maiorem fidem reiecit, et iudicium habebit? Et hæc. 48. Montanistarum: Gaudet, inquit, Deus Verbum his, qui approbatum Dei cultum præstare possunt, & Virginitatem, & continentiam exercere deligunt, &c. Vides cultum vocari, professionem continentia.*

S. IOHANNES CHRYSOSTOMVS homil. 15. in 1. ad Timoth. *Et Vidua, inquit, in Viduitatis professione Christo consentit, sed est, Christo nubit. Et infra: Cum, inquit, illi se deuouerint, nubere solunt habentes damnationem, quia primam fidem irritata*

irritata



irritam fecerunt, fidem pactum dicit. Et homil. 14. prolixi-  
mè describit, ac miris laudibus predicat monasticam pro-  
fessionem, sed clarissimè epist. 6. ad Theodorum lapsam: *Ho-  
rabiles, inquit, nuptia, sed te iam seruare non conuenit pro-  
legitima nuptiarum, quamuis frequenter hoc ipsum nuptia-  
ces, ego tamen adulterio illud peius existimo, &c.*

**SULPITIUS** in vita S. Martini ante medium: *De-  
rius, inquit, vir sancti admodum, & fidelis ingenij, cum  
lia eius grauissimis quartana febris astibus creverit, epist.  
lam Martini, quæ casu ad eum delata fuerat, pectori suo  
in ipso accessu ardoris inseruit, statimque fugata febris  
quæ res apud Arborium tantum valuit, ut statim puerum  
Deo voueret, & perpetua virginitati dicaret, profectum  
ad Martinum, puellam et præfens obtulit, neque ab aliis  
quàm à Martino, habitu virginitatis imposito, passum esse  
secrari.*

**RUFFINUS** lib. 10. hist. cap. 8. dicit, Hierosolymitanis  
insigne monasterium sacrarum virginum, quibus Helena  
mater Constantini suis manibus ministrare in mensa  
quando solebat.

**S. AMBROSIVS** lib. 3. de virginibus, ante medium: *Ho-  
ritas, inquit, sacris mysteriis, et consecratas integritate pro-  
las nubere prohibes. Vtinam potuissim renocare nuptias, si-  
tinam potuissim flammæ nuptiale pio integritatis velamen  
ne mutare; aut indignum videtur, ut sacrata virginis, sa-  
cro sanctis altaribus non abducantur ad nuptias? & quomodo  
licet sponsum eligere, non licet Deum præferre? Eminentia Di-  
scite, inquit, quantas Alexandrina, totiusq; Orientis, & A-  
fricana Ecclesia, quotannis sacrare consueverint, pauciores  
hic homines prodeunt, quàm illic virginis consecrantur. Si-  
milia passim repetit.*

**B. HIERONYMVS** in epistola ad Sabinianum: *Mora  
est, inquit, in Aegypto, & Syria monasteris, ut tam virgo,  
quàm vidua, quæ se Deo vouerint, & seculo renuntiantes, o-  
mnes delicias seculi conculcarint, crinem monasteriorum ma-  
nibus offerant defecandum, non intecto postea contra Aposto-  
li voluntatem incessuræ capite, sed ligato pariter, ac velato.  
Plena sunt scripta sancti huius viri testimoniis, pro castita-  
tis voto, & professione, adde ut Petrus Martyr dicat, nullius  
esse*



esse ex Patribus, qui magis dogmati ipsorum aduersetur, quam Hieronymus.

B. AUGUSTINVS lib. I. de adulterinis coniugiis, cap. 24. Quod, inquit, cuiquam, antequam vouisset, licebat, cum id se nunquam facturum vouerit, non licebit: si tamen id vouerit, quod vouendum fuit, sicut est perpetua Virginitas, &c. Et in Psal. 75. Nescio, inquit, qua castimonialis nubere voluit, quid voluit quod & mater ipsius, aliquid mali voluit? mali plane, quare iqua vouerat Domino Deo suo. Idem ibidem: Quid, inquit, ait Apostolus de quibusdam qua vouerunt, & non reddiderunt? Habentes, inquit, damnationem, qui a primam fidem irritam fecerunt, quid est primam fidem irritam fecerunt? Vouerunt & non reddiderunt.

S. FULGENTIUS lib. de fide ad Petrum, cap. 42. inquit, qui siue coniugati, siue a coniugio liberi, continentiam Deo vouerunt, admodum est damnabile, si vel illi coniugale opus voluerint appetere, quo se non accessuros, vel illi repetere, a quo recessuros illi libera, illi communi professi sunt voluntate. Idem S. Fulgentius in epist. I. cap. 6. Non peccat, inquit, Virgo nubens, si Virginitatem Deo priusquam nuberet in corde non vouit. Et epist. 3. cap. 4. Hic est, inquit, Unigenitus Dei Filius, Unigenitus etiam Virginis Filius, Unus omnium sacrarum Virginum sponsus, sancta Virginitatis fructus, decus, & munus, que corporaliter sancta Virginitas peperit, cui spiritualiter sancta Virginitas nubit; a quo sancta Virginitas facundatur, ut perseueret intacta; a quo decoratur, ut permaneat pulchra, a quo coronatur, ut regnet perenniter gloriosa; quapropter bonum depositum custodi, & meritum tanti boni, quod ut haberes, Deus dedit, & ut Deo voueres, ipse fecit.

Ad hæc omnia Conciliorum, Pontificum, & Patrum testimonia, tres adfert responsiones Petrus Martyr ad finem libri. PRIMO dicit, omnia ista humana esse testimonia, nec esse Christiani hominis officium prouocare a testimoniis Dei ad testimonia hominum: Quod, inquit, ad alterum attinet de iudicio Patrum, quoniam aduersarij nostri, et in hac causa, et in aliis controuersis semper prouocare solent ad eos, pronuntio mihi non videri hominis esse Christiani ad hominum iudicia prouocare a Scripturis Dei. hoc enim est iniuriam facere Spiritui sancto; nam fides est ex auditu, auditus autem ex

Verbo



*Verbo Dei, non ex Patribus.* Hæc ille. Vbi etiam fulius probat, non esse prouocandum à Scriptura ad Patres.

Sed dum hæc dicit, ipse mihi prouocare videretur à catholice ad impudentiam, à veritate ad mendacium; non enim catholici Doctores prouocauerunt vnquam à Scriptura ad Patres, sed in Scripturæ intelligentia à iudicio paucorum studiosorum, ad iudicium multorum sapientissimorum, & sanctorum virorum: vel etiã à iudicio partis ad iudicium totorum, qui partes non sunt. Vt enim in humanis litibus duo contendunt, & iudicem aliquem appellant, non prouocant à lege ad iudicem, sed à parte litigante ad iudicem: rursus iudex non satisfaciat, prouocant iterum non à lege sed ab vno iudice ad alium, donec veniatur ad aliquem à quo prouocari non possit. Ita quoq; in Ecclesia cum oriuntur controversæ, inspiciantur leges diuinæ, quæ ab omnibus recipiuntur. Quod si lis non finiatur, quæritur iudex, non quod Scripturæ non credatur, sed quod de ipsa Scriptura quæstio litigantibus arbitrium sapientium, & peritorum, qui ante litem extiterunt, floruerunt. quod si illi inter se fortasse non cõueniant, prouocamus ad Ecclesiæ totius iudicium, id est, ad summum Pontificis, vel generalis Concilij definitionem.

Quod si quis adhuc velit ab isto iudice ad Scripturam prouocare, idem facit, ac si quis in humanis litibus à Prætoris prouocaret ad legem. quod ridiculum esset, cum nihil aliud prouocare à Prætoris ad legem, quando de sententiæ legis quæstio est, quàm prouocare à sententiæ publici iudicis ad suum proprium, priuatumque iudicium.

At, inquit Petrus, etiam Patres omnes, & Concilia licet inter se optimè consentiant, errare possunt, nisi cum verbo Dei consentiant. RESPONDEO, id quidem esse verum, sed assumptionem, quæ subicitur, esse falsam, nimirum posse omnes Patres, aut Concilia legitima & approbata, cum verbo Dei non consentire. Exempla autem, quæ ipsi addunt, nihil aliud probant, nisi posse Patres singulos secessisse, & Concilia illegitima, & reprobata errare, Concilium enim Ephesinum, & Constantinopolitanum sub Leone Iconomacho, quorum exempla Martyr adducit, nemo nescit quæ lia fuerint.



ALTERA eius responsio est. Patres quidem id asserere, quod nos dicimus, sed non esse audiendos, quod non habuerint iustam causam id asserendi: *Certe, inquit, et quod verum est fateantur, eos in hac causa habemus iniquiores. Statim enim ab Apostolorum temporibus nimium tribui ceptum est coelibatus, quibus autem de causis id factum sit, supra multis verbis docuimus.* Hæc ille.

Docuit autem supra, quatuor esse causas, cur initio Ecclesie coeperit coli coelibatus: *Cur tanto, inquit, in pretio virginitas fuerit, causa una esse potest, quod Christus dixerit, esse Eunuchos, qui se castrauerunt propter regnum caelorum, et in eam sententiam permulta Paulus habet in 7. cap. I. ad Corinth. hac sane Patres semper habuerunt in ore, sed eos cogitare oportuit, quemadmodum essent accipienda.* Et infra:

ALTERA causa est, quod illo tempore graues erant persecutiones omnibus in locis, minus autem molestum est in persecutione, si quis solus fugiat, quam si cogatur sollicitus esse de uxore & liberis. TERTIA causa est, quia illis temporibus Christiana religio graui laborabat infamia; cum enim horis antelucanis, & in tenebris metu Principum ad hymnos & synaxes conueniret, populus ceperit suspicari illos vix inter se promiscuo concubitu, & nefaria libidine, &c. Et infra: *Atque eagrata magnum numerum aiebant virginum & coelibum.*

QUARTA causa est, quia bona pars eorum, qui accesserunt ad Christum, erat Ethnicorum. At illi maxime semper suspiciebant virginatatem & coelibatum, &c.

Hic nos respondemus, PRIMAM causam esse præcipuam, & verissimam, nimirum verba Christi, & Apostoli. Quod autem addit Martyr, S. Patres debuisse cogitare, quemadmodum illa essent accipienda, coincidit cum responsione superiori. *Id enim est quærare, utris tandem magis credendum sit in eorum locorum explicatione, Patribusne antiquissimis, sanctissimis, & doctissimis, an Luthero, & Caluino.* Sed certe non video quomodo ambigi possit de hac re; nam si statim ab Apostolis, ut Martyr dicit, floruerunt Patres illi, profecto Apostolos ipsos audire, & consulere potuerunt: ac proinde longè melius verba illorum intelligere, quam isti, qui mille & quingentis annis post Apostolos fuerunt.

SECUNDA & TERTIA causa potuerunt quidem mo-



mentum aliquod habere ad suadendam continentiam, sed non fuisse causas præcipuas huius rei, facile probatur. PRIMO, quia Patres, dum laudant, & suadent continentiam & continentiam votum, nunquam adferunt istas causas, sed verba Christi, Apostolorum, & Prophetarum. Quocirca etiam Petrus Martyr fatetur, semper Patribus fuisse in uerba Christi, & Pauli, nec attulit vllum testimonium alius ius veteris, qui scripserit suspiciendum esse, vel suscipiendum coelibatum ob fugam in persecutione, aut ob refellendam calumniam Ethnicorum. SECUNDO, si ista fuissent causas præcipuæ, iam dudum cessasset admiratio coelibatuum; nec causæ illæ breuissimo tempore durarunt: non autem durarunt, sed semper magis & magis in Ecclesia floruit, & viguit honor continentiam Deo sacratæ & deuotæ.

QUARTA causa falsissima est, cum constet coelibatum in Ecclesia non à Gentilibus, sed à Iudæis cœpisse, sicut Christus ipse virgo, mater eius virgo, Ioannes virgo, Apostoli omnes post vocationem suam continententes, ex Iudæis non ex Gentibus nati fuerat. Illi etiam primi Christiani, qui in Ægypto continentiam colebant, de quibus scribit Paulus in libro de vita contemplatiua supplicum, ex Iudaismo, non ex Paganismo, ad Ecclesiam venerant.

Adde, quod Petrus Martyr contrarium scripsit in commentario ad caput 7. 1. Cor. ubi sic ait: *Neg, indicamus de coelibatu, quod sit in presentia, & hætenus erat in Iudæis, & apud Ethnicos parum honestus. Scribit enim Cyprianus de coelibatibus, Coelibes esse prohibentis. Christus hanc ignominiam coelibatus amouit. &c.*

Porro Gentilium testimonio adferuntur quidem interdum à Patribus, sed ita adferuntur, ut Apostolus quondam citauit Aratum Poëtam Act. 17. & Menandrum 1. Cor. 15. nimirum non ut in eiusmodi testimoniis ponatur firmamentum dogmatum fidei, sed ut ostendatur coelibatus non pugnare contra naturam, & rationem, & ut Christiani erubescant, si in iis, quæ ad virtutem pertinent, inueniantur Ethnicis inferiores. Hoc modo S. Hieronymus in libris aduersus Iouinianum, postquam multis Scripturæ testimoniis coelibatum confirmauit, producit etiam Ethnicorum testimonia & exempla.



TERTIA responsio Petri Martyris constat ex aliquot Patrum testimoniis, quæ cum voto continentia pugnare videntur. Sed ea paulò post adferemus, ubi ad obiectiones aduersariorum dissoluendas peruenerimus.

CAPVT XXVIII.

*Idem asseritur ratione.*

**N**UNC tandem, vt ad postremum genus argumentorum veniamus, duplici ratione, in Scripturis, & Patrum testimoniis fundata, id ipsum breuiter confirmabimus. Prima ratio ex dignitate continentie, secunda ex utilitate vouendi sumetur. **PRIMUM** igitur id omne Deo rectè vouetur, quod est illi gratius si fiat, quàm si non fiat. Eiusmodi autem continentia est, cum longè excellat coniugio, & cum fornicatione ne comparari quidem debeat, poterit igitur rectè continentia Deo voueri. Assumptio, quæ sola negari solet, paucis confirmanda est. **QVIA** verò Lutherus in Epithalamio cauillatur, virginatatem quidem præstare coniugio, sed non item vitam cælibem vitæ coniugali: Argumenta adferemus de vita ipsa, & statu cælibum. Ac primùm Scriptura diuina clamat 1. Corinth. 7. *Igitur qui Matrimonio iungit virginem suam, bene facit, & qui non iungit, melius facit.* Et infra: *Cui vult nubat, tantum in Domino, beator autem erit, si sic permanserit.* Huc etiam pertinent alia testimonia, quæ attulimus supra in disputatione de consiliis.

Iam verò Patres passim perfectam vitam hanc esse dicunt. **CYPRIANVS** libro de habitu virginum, virginum cœtum esse dicit illustriorem portionem gregis Christi. Et ibidem: *Magna, inquit, vos merces manet, pramium grande virtutis, munus maximum castitatis.* **DIONYSIVS** de Ecclesiastica hierarch. cap. 6. part. 2. *Sacerdos, inquit, perfectissimam ei vitam exponit, et videlicet, qui monasticam vitam proficitur.* **EUSEBIVS** lib. I. cap. 8. demonst. Euangel. *Et talis, inquit, existit in Christianismo perfecta vitæ modus.* **BASILIVS** capit. 18. monasticarum constitutionum, & Gregorius Nazianzenus in oratione de obitu S. Basilij, vitam perfectam,